

## IX.

Arctior verò colligatio est Societatis *propinquorum* i.e. consanguineorum & affinium: atq; adeo qvò ex propinquis naturæ instituto & primævo ordini qvis est propior, eò major ad officia ipsi præstanta est obligatio. Hinc prima Societas in ipso *conjugio* est; proxima in *liberū*; dein una *domus*, in qua *communia omnia*. Vnde Charondas domesticos vocavit ὄμοσίπλει, eadem ara utentes, vel ὄμοσίται, convictores; Epimenides ὄμοκάπλει, eodem præsepi, vel ἴμοκάπλει, eodem fumo utentes. Seqvuntur *Fratrum conjunctiones*, pòst *consobrinorum*; item *connubia* & *affinitates* &c. Et additur, *Sanguinis conjunctionem* & benevolentiam devincire caritate homines: magnum enim esse, eadem habere monumenta majorum, eisdem uti sacris, sepulcra habere communia. Per *Monumenta* intelliguntur *Statuæ*, *Tropæa*, & *Majorum imagines*, qvæ posteros avitæ virtutis admoneant. Cic. noster in Bruto: *Ipsæ familia sua quasi ornamenta* & *monumenta servabant*, & ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam. Per *Sacra* intelligimus *sacra privata*, sive, ut Macrobius appellat, *gentilia*. Nam *sacra*, auctore Festo, aut *domestica* sunt aut *peregrina*, aut *publica* aut *privata*. Hoc autem loco sermonem esse de *domesticis* & *privatis*, antecedentia evincunt. Præterea qvoq; Romæ *sepulcra* erant *gentilia* & *familiaria*; qvæ non minus sancte, quam ipsa *sacra*, a familiis habita sunt & custodita.

## X.

Seqvitur jam *Gradus* aliis Societatis humanæ, quem commendat Tullius a præstantia, dignitate, constantia, & Caussis efficientibus, nempe *Virtutibus*, præcipue *Justitia* & *Liberalitate*: homines enim justi & liberales alienum magis quam suum agunt negotium; & nemini nocent,